



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 3. Christianorum quoq[ue] nonnullorum vanæ de fortuna persuasiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

4 Cap. I. Quid non sit, vel sit

Clem.
Alexand.
in pro-
trept.

S. Greg.
Nazianz.
or. 3. Cic.
in Lælio.

*malis propitiam; bonis aduersam; vagam ac ver-
satilem; & in sola leuitate constantem. Quid
multis opus est? eò dementiæ ventum est, vt
Romani Fortunam Deam maximam cum
putarent, illam tamen, vt notat Clemens
Alexandrinus, in sterquilinio locarent, sci-
licet dignum Deæ templum secessum tribuentes,
ait idem. Nondum satis est: vsque eò Roma-
ni insaniuerunt, vt hanc Deam, in sterqui-
linio, collocatam, adorarent; immo etiam
Male fortune aram in Exquilijs extruerent.
Seruius Tullius non solū, in Capitolio, For-
tunam Primigeniam & Obsequentem dedica-
uit; sed etiam iactare & prædicare ausus est,
sibi consuetudinem intercedere cum Fortu-
na, quam, per fenestram quandam, in fu-
um cubiculum, ad se delabi dictitabat. E-
uersum eius templum, grauiter vltum Iu-
lianum, quasi summum nefas esset factum,
scribit Nazianzenus. Nimirum rectè dictum
est à M. Tullio: Non ipsa solūm Fortuna cæca
est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos
complexa est. Et ille:*

Fortuna, nimum quem fouet, stultum facit.

§. III.

*Christianorum quoque nonnullorum vane
de Fortuna persuasiones.*

Quod

Quod utinam Ethnicis tantum contigisset! Nunc, non modo Bupalus, apud Smyrnæos, sed etiam Christiani, Ethnicismum, obolentes, Deam hanc nudam, cœcam, secundo flatu, carbasa ventilantem, in libri, in nummis, in scutis, in columnis, in ipsis ædium vestibulis pingunt, & suspendunt; ut necesse esset vel ipsos, qui transeunt, cœcos fieri, ne impudentem Deam aspicerent; vel nudam vestiri, ut aspici non posset. Neque fatis est, Veneream imaginem huic Deæ poni; à plurimis Dea habetur, à plurimis, ut Dea colitur, à plurimis, cum Sallustio, dicitur, *Fortuna in omni re dominatur: ea, res cunctas, ex libidine magis, quam ex vero celebrat obscuratque.* An non enim multi, sermone quotidiano, *Fortunam* suam vel laudant, vel accusant; vel etiam inuocant? An non *Fortune* plurima attribuunt? An non dicunt, inter ludendum, sibi *Fortunam* fauisse, aut defuisse? in prælijs, in negotijs, in venatu, in itineribus, in matrimonijs contrahendis, & denique, in qua re, non tribuunt primas *Fortuna*? Huic victoriæ, huic prædæ, huic optata omnia ascribuntur. Ita vanitas veritati, & Dea falsa, vero Deo antefertur. *Toto Mundo, & locis omnibus,* ait

Pausan.
lib. 4.

Plinius
lib. 2.

Plinius, omnibusq³ horis, omnium vocibus *Fortuna* sola inuocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur: volubilis, à plerisque verò, & ceca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum faulrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramq³ paginam facit; adeoq³ obnoxia sumus sortis, ut fors ipsa pro Dea sit. Nisi quòd *Fortunum* Deum à Philosophis quibusdam dictum, quam vulgus *Fortunam* nominat, Lactantius & Arnobius referunt, & refellunt. Parum enim refert, virum, an foeminam esse fingas, si mentiaris.

Lactant.
l. 3. c. 28.
& 29. Ar-
nob. lib. 3.

§. IV.

Nomen & Numen Fortune unde ortum, & à quibus oppugnatum?

S. Augu-
stin. lib. 1.
Retract.
cap. 1.

S. Augustinus, quia ipsius tempore multæ adhuc supererant reliquæ Gentilium *Fortunam* pro Dea habentium, ne illis daretur occasio errandi, aut superstitione eorum, auctoritate ipsius, confirmata videretur, etiam quòd nomen *Fortuna*, licet bono veròque sensu, usurpârit, seipsum reprehendit. Refert ergo plurimum, ad diuinæ Prouidentia laudes redintegrandas; erroremque, plus, quam